



Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In quâ tractatur de Augustissimo Eucharistiæ Sacramento, ac Sacrificio
Missæ, ...

Bosco, Jean a

Lovanii, 1667

Concl. I. Sacrificium Missæ potest offeri pro omnibus baptizatis vivis, qui
non sunt præcisi ab Ecclesia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73377)

SECTIO TERTIA.

De his pro quibus hoc Sacrificium offerri potest.

I.
Sacrificium
offeritur pro
vivi & de-
functis.

Sacrificium novæ Legis offerri debere pro vivis & defunctis, nemo Catholicorum post Tridentinum lessi. 22. cap. 2. & can. 3. potest dubitare. Nam cap. 2. sic inquit: *Quare Sacrificium Missæ non solum pro Fidelium vivorum peccatis, penis, satisfactionibus & aliis necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis, rite, iuxta Apostolorum traditionem, offertur.* Can. autem 3. contrarium errorem damnat his verbis: *Si quis dixerit Missæ Sacrificium tantum esse laudis, & gratiarum actionis &c. neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, penis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit.*

Probat
ex Conc.
Tridentino.

de forma
Sacerdotii.

Confirmatur ex forma Sacerdotii, quæ teste Florentino in decreto Eugenii talis est: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia pro vivis & mortuis, in nomine Patris &c.* Vel (ut lego in Pontificali Romano) *Accipe potestatem offerre Sacrificium Deo, Missæq; celebrare, tam pro vivis, quam defunctis in nomine Domini Amen.*

Cumque hæc verba formæ sint generalia, & aliunde, ut communiter loquuntur Theologi & Jurisperiti, ubi jus non distinguit, nec nos distinguere debeamus, fortassis aliquibus videretur indifferenter pro omnibus vivis iuxta ac defunctis hoc Sacrificium posse, & debere offerri; quod tamen nullatenus est admittendum, ut in sequentibus Conclusionibus luculenter ostendo. Exordior autem à vivis, & separando certa ab incertis, Dico Primò:

CONCLUSIO I.

Sacrificium Missæ potest offerri pro omnibus baptizatis vivis, qui non sunt præcisæ ab Ecclesia.

2.
Sacrificium
offeritur in
commo-
dum popu-
li.
Hebr. 5.

Sacrificium posse offerri pro alio, id est, in utilitatem & commodum alterius, apertissimis verbis docet Apostolus Hebr. 5. v. 1. *Omnis, inquit, Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus, id est, in utilitatem hominum, constituitur in his, quæ sunt ad Deum.*

Quæris unde sciam ly *Pro hominibus*, idem esse, quod in utilitatem hominum? Respondeo; quia continuo subjungitur: *Vt offerat dona & Sacrificia pro peccatis.* Et v. 3. sic ait: *Et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam*

& pro semetipso offerre pro peccatis. Debet ergo Sacerdos non tantum pro seipso, id est, in propriam utilitatem, sed etiam pro populo, id est, in utilitatem populi offerre.

Porro quis sit iste populus, haud dubium quin in primis omnes fideles baptizati vivi, qui non sunt præcisæ ab Ecclesia. Ita omnes Catholici cum Concilio Tridentino lessi. 22. cap. 2. & can. 3. vide supra. Et Colligitur ex Offertorio Missæ ibi: *Sed & pro omnibus fidelibus Christianis vivis atque defunctis.* Et Canon ibi: *In primis quæ ibi offerimus pro Ecclesia sancta Catholica &c. Et omnibus orthodoxis, acque Catholica & Apostolica fidei cultoribus.* Quæ verba cum sint generalia, sine ratione non est faciendæ exceptio.

Et verò quæ ratio excogitari potest excipere iustos, vel peccatores, adultos, vel parvulos, amentes vel enervumenos, cum omnibus Sacrificium prodesse possit, ut patebit ex dicendis Sectione sequenti, & nulla extet de aliquibus prohibitio? Nam in Concilio Eliberitano, quod in contrarium adfertur, tantum prohibetur, ne enervumeni ministrantur huic Sacrificio, & ne recitetur eorum nomen in Missa. Sic enim loquitur cap. 29. *Enervumenum, qui ab erotico spiritu exagitur, huius nomen, neque ad altare cum oblatione esse recitandum, neque permittendum ut suâ manu in Ecclesia ministrat.*

Cum ergo Sacrificium sit quoddam bonum relictum Ecclesiæ, utique dispensandum membris ejus per legitimos ministros, liquet profectò pro omnibus fidelibus baptizatis vivis (saltem non præcisæ) utpote membris Ecclesiæ, non solum posse, sed etiam debere offerri: unde peccaret, qui aliquem expressè à Sacrificio excluderet; quia in Missa, ut supra vidimus, expressè dicitur Sacrificium offerri pro omnibus, sive pro tota Ecclesia: Sacerdotes autem sacrificando tenentur servare ritum Ecclesiæ.

De hac ergo veritate satis constat inter Catholicos; dubitatur autem primò, an liceat sacrificare pro non baptizatis, puta Gentilibus, Judæis, Paganis & Catechumenis: secundò, an pro excommunicatis, aut aliter præcisæ. Ad primum Respondeo: